Passio septem monachorum (Latin)

Pseudo-Victor of Vita (uncertain)

SermonIndex.net / Church Fathers

Authorship. These pieces were handed down with Victor of Vita's works, but he did not write them.

Passio septem monachorum

Incerti Auotoris Passio Septem Monachorum — Passio Beatissimorum Martvrum Qvi Apud Car- Thaginem Passi Sunt Sub Impio Rege Hunirico Die Vi. Non. Iul

(I) Praedicaturus triumphos martyrum beatorum ad enarranda quae gesta sunt auxilium exposco diuinum, ut qui illis praestitit superandi uictoriam, mihi indigno et inmerito quantulacumque uerborum porrigat ornamenta. Tunc etenim ualebo quae desiderata sunt indicare, si ipsi dignentur pro me misero domino supplicare.

(II) Septimus namque agebatur annus crudelissimi atque impiissimi regis Hunirici, et ecce antiquus hostis, ueternosus utique anguis, trisulcis linguae uenena uibrans, Cyrila quondam Arriomanitarum episcopo ministro usus est, subuertens et obtinens animum regis cruenti, ut ita suaderet, non posse eum pacatum atque longaeuum obtinere regnum, nisi nomen perderet innocentum. Qui tamen dei iudicio post non multos dies tur-

pissima morte praeuentus scatens uermibus exspirauit. Insectari coepit ere cruento omnem catholicorum multitudinem, quae per totam prouinciam Africanam in modum, sicut praedictum est Abrahae patriarchae, harenae maris fuerat multiplicata, ut eam rebaptizationis sauciaret machera atque stolam illam singularis et puri baptismatis, quam Christus uino carnis suae purificans praelo exprimens crucis fecerat dealbatam, tetrae nigredinis turparet inluuie sordulenta. Accipiens quoque tyrannus, ut erat ducibilis et ferus, serpentinam suggestionem, feralibus edictis uno tempore totam coepit Africam commouere.

Primo sacerdotum et ministrorum copiosissimam et maximam turbam in longinquis et extremis regionibus exilio crudeli detrusit: quibus bis acutum genus frumenti, quod iumentis solis edere concessum est, nequaquam industria molari contritum, sed manente furfuris cortice loricatum, pro miseratione dari praecepit; post uero crescente impietatis insania etiam hoc

auferri crudelissimus imperauit. Post modicum quoque temporis uniuersas simul ecclesias praeiudicatis uenerabilibus portis caementis ingentibus claudi mandauit : uniuersa namque monasteria uirorum uel puellarum sanctarum gentilibus id est Mauris cum habitatoribus donare praecepit. Unus fuit omnibus eiulatus, unus pro Christo moriendi integer

et plenus affectus. Paria currebant flumina lacrimarum, quia permiserat dominus cibari eos panem lacrimarum et potari eos in lacrimis in mensuram aut forsitan sine mensura.

Etsi reperta est exiens de arca inhians cadaueribus mortuis pars aliqua pereuntium coruorum, maior est tamen in nomine trinitatis numerus felicium columbarum. Quanti nobiles et optimi uiri, ampli et lati cespitis domini, terram cum caelo commutauerunt et simul corpus cum substantia tradiderunt, atque delicatae et nobilissimae feminae contra uerecundiam naturae spectante uulgo uirgis caesae uariisque tormentis cruciatae uictricia trophea portarunt! quanti infantuli inridentes edicta feralia ante mundum contempserunt, priusquam inlecebrosam eius semitam introirent!

(III) Tunc adprehensi sunt et septem fratres, quantum continet ad concordiam dominicae seruitutis in monasterio habitantes in unum, quia bonum est et iucundum habitare fratres in unum, id est Bonifatius diaconus, Seruus subdiaconus, Rusticus subdiaconus, Liberatus abba, Rogatus monachus, Septimus monachus et Maximus monachus, in numero scilicet Macchabeorum germanorum, quos una mater ecclesia catholica genuerat et per uiscera fontis aeterni salubriter pepererat, de territorio Capsensis ciuitatis, cui praefuit sanctus Uindemialis sacerdos egregius et Christi fidelis antistes.

Qni adtracti ad urbem Carthaginiensem, primo eis inlecebrosis blandimentis serpens uoluit sibilare, promittens honores caducos et diuitias ingentium uoluptatum nec non et regis amicitias uel alia multa, quae solent insipientium animas aucupante diabolo uisco mundiali captare. Sed haec omnia milites dei acsi contagia respuerunt, clamantes uno ore: \'unus dominus, una fides, unum baptisma. Nec poterit in nobis adiuuante domino iterari, quod in sancto euangelio semel praeceptum est dari; quia qui semel lotus est, non habet necesse iterum lauari, quia mundus est totus. Facite quod uultis, inferte poenas corporibus nostris: melius est temporalia ad modicum sufferre supplicia, quam aeterna pendere et subire tormenta. Habete quae promittitis, cum ipsis diuitiis post paululum perituri. Nobis uero nullus de postibus frontium ualebit euellere, quod in uno baptismate artifex trinitatis dignatus est titulare'.

(IV) Quid multa? Dum tali constantia diuinitus munirentur, iussi sunt carcerali custodiae mancipari, et ita crudelius onerati ferri ponderibus tenebrosis deputati sunt locis, ubi nulla miseratio adrideret lenitatis. Sed populus ille memoratae urbis, in domino semper fidelis, dato munere carcerariis die ac nocte Christi martyres frequentabat et ita ab eis doctrina et uirtute fidei roborabatur, ut talia etiam ipsi pro Christi nomine plena delectatione perferre cuperent et capulo persequentis facilia subponerent colla.

Hoc autem tyrannicas peruenit ad aures; qui ebrietate furoris accensus iubet eos adhuc inauditis suppliciis adigi et maioribus uinculis onerari, nauemque imperat lignorum aridorum manipulis adimpleri atque in eadem omnibus alligatis in medium pelagus igne supposito concremari. (V) Eductisque illis de custodia multitudo populi dei bellatores trinitatis quasi agnos innocuos ad uictimam deducebat, et rugientium pondera catenarum quasi quaedam monilia peruidebat, quia non fuerunt illa uincula, sed potius ornamenta.

Incedebant itaque cum fiducia ad supplicium, quasi ad epulas concurrentes, una uoce per ambitus platearum domino decantantes: \'gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae uoluntatis. Uotiua nobis haec dies est et omni sollemnitate festiuior. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quando pro fide domini dei nostri proferimur ad praeparatum supplicium, ne amittamus adquisitae fidei indumentum\'. Sed et populis publica uoce clamabant: \'ne timeatis, o populi dei, neque formidetis minas atque terrores praesentium tribulationum, sed potius moriamur pro Christo, quomodo et ipse mortuus est pro nobis, redimens nos pretio sui sanguinis sanguinis.

Unum tamen uehementi conatu, qui inter eos infantulus uidebatur, nomine Maximum, cupiebant auctores malorum a sanctorum consortio separare dicentes: infantule, quid festinas ad mortem? dimitte eos, insaniunt, et audi consilium nostrum, ut possis inuenire uitae remedium et tanti regis adire palatium*. Tunc ille, aetate quidem puerili, senili tamen maturitate, clamabat: nemo me separat a sancto patre meo Liberato abbate et a fratribus meis, qui me in monasterio nutrierunt. Cum ipsis sum in timore dei conuersatus, cum ipsis desidero passionem suscipere, cum quibus credo me et futuram gloriam inuenire.

Nolite putare, quia potestis seducere pueritiam meam: simul nos dominus septem uoluit congregare, simul dignabitur omnes uno martyrio coronare. Quomodo nemo perire potuit de septenario illo numero felicium Macchabeorum, ita etiam septenus nostrae congregationis numerus nullum inueniet detrimentum. Nam si negauero eum, et ipse negabit me, quoniam ab ipso dictum est: qui me negauerit coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui est in caelis; et qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui est in caelis\'.

(VI) Perducti itaque cum festinatione ad naualem supplicium pro uoluntate infandi regis uel crudelium ministrorum, extensis manibus et pedibus clauati feruntur potius quam ligati. Qui dum ignis fuisset lignis iniectus, statim imperio diuino uidentibus cunctis extinctus est; et dum saepius renouaretur nutrientibus pabulis, iterum atque iterum extinguebantur rogi globi flammarum. Et cum exinde magis tyrannus furore simul esset et rubore repletus, iussit eos remorum uectibus enecari et ita singulos in modum canum cerebris comminutis extingui.

Qui tali genere mortis debitum spiritum feliciter domino reddiderunt, nec expauerunt lignis quatientibus mortificari, quibus semper fuit spes omnis in ligno.

Sed cum in mari uenerabilia corpora iactarentur, ilico, quod contra naturam est aequoris, eadem hora inlaesa corpora pelagus litori reddere maturauit, nec ausus fuit, ut moris est, triduana dilatione in profundo retinere, ne praecepto dominico minime paruisset. Ad quod miraculi genus et ipse tyrannus, licet inpaenitens, ut fertur, expauit. Gaudens autem quae aderat multitudo corpora sanctorum martyrum diligenti tradidit sepulturae praeeunte clero uenerabili Carthaginiensis ecclesiae; ubi etiam et praedicandi diacones, tertio iam confessores effecti, Salutaris et Muritta, geruli reliquiarum adfuerunt.

(VII) Hnmatae sunt igitur cum hymnis soUemnibus lypsanae beatae sanctorum in monasterio Biguae contiguo basilicae, quae dicitur Celerinae. Et sic in confessione trinitatis beatissimi martyres passi sunt et speciosum cursum certaminis sui coronante domino perfecerunt. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Arnen.

EXPLICIT STORIA aFRICana.

INCIPIT STORiaE RoMaNaE

LIBER pRImus.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Victoris episcopi Vitensis Historia persecutionis Africanae provinciae*** edited by Michael Petschenig (Vienna, Gerold: 1881) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum 7), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.